

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE APOSTLORVM SIMONIS ET IVDÆ Euangelium. Ioan. 15.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

Expellimus

Angelini ben

Babylone (dicit
sunt angelus)
vultumque et
est sancta, de
iniquum, et
etiam dicitur
in terra sunt

Hier. 51

expellamus autem, quando cōtrario modo aduersus ip-
sos vi-uimūs. Manent autem cum quæ ipsi diligunt, ama-
mus. Similitudo enim affectuū causa dilectionis est. Sūt
ergo in sua natura angeli puri atque casti: humiles obe-
dientesque erga Deum: benigni in homines. Et tu pu-
ritatem castitatemque vitæ apprehēde, humilitatem atq;
obedientiam sectare, maxime proximi benignitatem a-
moremque indue, non modo vt ei beneficia prestes,
verū etiam vt eum à scandalo & ira cōserues, sic bo-
nis Angelis tecum esse voluptas erit. Hæc sunt, quæ ho-
diernum exigit Euangelium, in quo Christus paruulo-
rum exemplo ad puritatem vitæque innocentiam, tum
humilitatem simplicitatemque vocat: deinde etiam ad
dilectionem incitat, tandem verò minis à scandalo de-
terret. Hæc hodie & cogitāda & faciēda sunt. Ideo enim
hoc Euangelium de Angelis legitur, quod si cōtrarium
fecerimus, non iam angelici sed dæmoniaci sumus ma-
li. Id quod ipse angelorum Deus à nobis auertat, Amen.

IN DIE APOSTLO-
RVM SIMONIS ET IVDÆ
Euangelium. Ioan. 15.

HÆc mādō vobis, vt diligatis inuicem.
Si mundus vos odio, scitote quia me
priorem vobis odio habuit. Si de mū-
do fuissetis, mundus quōd suum erat diligeret.
Quia verò de mundo nō estis, sed ego elegi vos
de mundo, propterea odit vos mundus Memē-
tote sermonis mei, quē ego dixi vobis: Non est
seru⁹ maior Domino suo. Si me persecuti sunt,
& vos persequuntur. Si sermonem meum seru-
auerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia
facient vobis propter nomen meum, quia ne-
sciunt eum qui misit me. Si non venissem & lo-
cutus fuisset eius, peccatum nō haberēt. Nūc
au-

autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meū odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderūt, & oderunt & me & patrem meū. Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Psal. 108.
quia odio habuerunt me gratis.

EODEM FESTO DIE

Epistola. Roman. 8.

Sciamus quoniam diligentibus Deū, omnia cooperantur in bonū, ijs qui secundū propositū vocati sunt sancti. Nā quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autē prædestinavit, hos & vocauit: & quos vocauit hos & iustificauit. Quos autē iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Qui etiā proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiā cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imō qui & resurrexit, qui & est ad dextrā Dei, qui etiā interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die æstimati sumus sicut oues Psal. 43.
occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque prin-

Gg 2

cipatus,

cupatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

SERMO VNICVS.

quando hæc festiuitas in. 22. Dominicam Trinitatis incidit.

Ioan. 15.

Non incongruè Simonis & Iudæ Apostolorum festiuitas Dominicali Euangelio atq; Epistolæ conuenit. Vtrunque enim Euangelium præter & iuxta fidem proximi quoq; dilectionem, non sine singulari seueritate à nobis exigunt. Tum quod Paulus in Epistola docet verbis, manifestè in amborum Simonis & Iudæ consideramus exemplis. Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem, Christus ait. Seuerissimè dictum: Neque enim facile id genus voces multas inuenias: Mado, præcipio, imò nusquam, nisi vbi de proximi dilectione loquitur. Hanc non simpliciter proposuisse sed mādasse vult. Mādātum, inquit, nouū do vobis, vt diligatis inuicem. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Et hic: Hoc mando vobis. Atq; hic mihi, consilium an præceptum sit vide: an in tuo arbitrio stet facere: an necessitate astringaris. Vtique proximi dilectio necessario fidei additur, si modo Christiani dici, coramq; Christo perstare voluerimus. Hoc mando vobis, inquit, Christus. Atque hæc sanè pijs dicta sufficerent. Sed adhuc seueriùs in Dominicali Euangelio isthæc proposita dilectio est. Illic enim proximi dilectio non modò præcipitur, verumetiam sub grauissima Dei iræ pœna, æternaq; damnatione cuiq; nostrum imponitur, quodque hoc suum mandatum seuerissima intentione exacturus sit Deus, indicatur. Est enim totum illud nihil aliud, quàm si diceret. Videte & considerate, discipuli mei, qui erga vos ipse fuerim, qualem me fore promiserim. Peccatores fuistis, recepi vos in gratiam: multa debitorum onera vobis incumbabant, remis omnia: potuissem ego pro iustitiæ seueritate in vos animaduertere, misericordiam præstiti: idem facio quotidie, nec quicquam non factu-

facturum me sponendi quodcumq; gratiam petitem ad me iueritis. Sed idem inuicem faciatis, operam date : sin verò, & ipse contraham manum meam, oculos mentemq; à vobis auertam : non vos meos cognoscam, sed veluti feuerissimus Iudex inexorabilisq; ero: Licet benignus antè fuerim, talisque porrò esse erga vos magis elegerim . Atque hæc Euangelij Dominicalis intentio est. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et hæc sanè satis stricte dicuntur, & demonstrant, quare alibi Christus dicat: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem: Ecce quomodo pulchre hæc duo Euāgelia, cōsentiant, quæ ideo aliquanto plus roboris in nobis haberet, quod non vno aliquo Christus in loco, sed vbique tanta grauitate de dilectione loquitur, vt quàm maximè in suis requirat, sine qua ne credentes quidem suos agnoscat. Sint ergo hæc de vtroq; Euangelio dicta. Iam etiā Epistola Dominicalis cum ipsa festiuitate cōferenda est. Sic Paulus ait : Confido in vobis, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustū hoc sentire pro omnibus vobis : eò quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiā vos omnes in visceribus Iesu Christi . Et hoc oro, vt charitas vestra magis magisque abundet in omni scientia & in omni sensu : vt probetis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in laudem & gloriam Dei: Ecce quæ Pauli erga alios dilectio, cura, condolentia fuerit. Testis est mihi D E V S, inquit, quomodo cupiam vos omnes in visceribus meis . Eiusmodi si quàm mentem occupat dilectio, atque regnat: facit vt nihil tam cogitemus, quàm qua ratione proximus iuuari queat, quomodo acceptæ gratiæ dona illi communicemus. Hanc non vnus Paulus, sed cæteri quoque Apostoli omnes habuerunt genuinam dilectionem . Exiuerunt, atque Euangelium vbique prædicauerunt ea grauitate eaque feueritate, vt citius famem, sitim, contumelias, persecutionesque, imò ipsam etiam mortem fuissent passī, quàm

Matth. 18.

Phil. 1.

Acto. 4.

neglexissent quæ alijs prodesse ad salutem potuissent. Quotquot enim erant, omnium tamen, Luca teste, cor vnum & mens vna erat. Nempe illud ipsum est, quo se veros Dei filios, discipulos, atque imitatores Christi ostenderunt. Tales enim filios Deus requirit, tales & ipse CHRISTVS discipulos exigit. Atque ex his, arbitror, facile erit quomodo non solum ambo Euangelia, verum etiam Epistola atque hæc festiuitas pulchre sibi cõsentiant, & quod nõ simplex, sed quadruplex creditibus ad dilectionem incitamentum hodie detur, colligere. Euangelium enim Dominicale dilectionem respicit, festiuale eandem præcipit. In Epistola suam quoque Paulus ostendit, & hanc ipsam, in ambobus Apostolis cõsideramus. Tot ergo dilectionis incitamenta ne fratres ventis committamus, sed in Charitate ambulemus magis vt simus filij patris nostri qui in cœlis est. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE OMNIUM SAN- CTORVM DEI EVANGELIUM.

Matthæi. 5.

VIdens Iesus turbas ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mudo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum

cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malū aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniā merces vestra copiosa est in cœlis.

EODEM FESTO DIE

Epistola. Apocal. 7.

ET vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum DEI vultus: & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoad usque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centū quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Iuda, duodecim milia signati. Ex tribu Ruben, duodecim milia signati. Ex tribu Gad, duodecim milia signati. Ex tribu Aser, duodecim milia signati. Ex tribu Neptalim, duodecim milia signati. Ex tribu Manasse, duodecim milia signati. Ex tribu Simeon, duodecim milia signati. Ex tribu Leui, duodecim milia signati. Ex tribu Isachar, duodecim milia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim milia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim milia signati. Ex tribu Benjamin, duodecim milia signati. Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in cōspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & aguo. Et omnes angeli stabant in circuitu throni &

Gg 4 senio-

seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

SERMO PRIMVS.

Sic honorabitur siue hoc honore dignus est, quemcumque Rex voluerit honorare. *Epib. 6.*

*Et quod bene dicitur
tristis sanguis
gratiis gratia
in gratia ad
tristis*

Conuenientius huic sermoni exordium nescio, quam verborum quibus olim D. Augustinus usus est, recitationem. Hodie dilectissimi, inquit, omnium sanctorum, sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cælum exultat, quorum patrocinijs terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior tanto est charior in honore, quia dum creuit pugna creuit & certantium gloria, & Martyrij triumphis multiplici passionum genere adornatur, per quæ grauiora tormenta gratiora fuere & præmia. Beati estis, inquit CHRISTVS, cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiã hoc prouidit, vt laborum quidem tēpus & agonis nō extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue, & vt ita dicā, momentaneū. Vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores, in illa verò quæ æterna est corona & præmia meritum: vt labores quidē citò finirentur: meritum verò præmia sine fide durarent: vt post huius mundi tenebras visuri essent candidissimā lucē, & accepturi maiorem passionū cunctarū, acerbientibus beatitudinē, testante hoc Apostolo, qui ait: Nō sunt cōdignæ passionēs huius tēporis ad superuenturam gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Et iterum non oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparabit Deus diligenti-

Roma. 8.

1. Cor. 2.

Isaia. 64.

*argumēto
for magis acerbiorē a minorē
ad maiorē. ex parte gratia, be signat
cōsiderat fidei & tēporis lūte pōtē
in oibz fidei pōtē.*

gentibus se. Quam læto igitur sinu de prælio reuer-
 tentes ciuitas cœlestis excipit, de hoste prostrato trophea se-
 rentibus occurrit. O magnitudinē honoris atq; gaudij,
 quando Christus ipse oues suas in æternum ouile suum
 annumerauerit, vnicuique mercedem promissam de-
 derit, pro momentaneis, æterna: pro terrenis, cœlestia:
 vbi ad paternæ eos claritatis faciem adduxerit, in cœ-
 lestia bona collocans, regnum colorum aperuit, æter-
 nitatemque amatoribus suis & immortalitatem largitus
 fuerit, atque eos quos sanguinis sui viuificatione repa-
 rauerit denovo in paradysum reduxerit. Idque fide & ve-
 ritate suæ pollicitationis. Hęc hereant firmiter sensi-
 bus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde
 diligantur, hæc indefinentium operum magnanimitate
 acquirantur. Via salutis strata est, multa milia nos præ-
 cesserunt tantum ne tardantes nobis ipsis impedimento
 simus. Curramus iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem
 cœlestem, in qua scripti sumus & ciues decreti, non su-
 mus hospites, sed ciues sanctorum & domestici Dei,
 etiam illius hæredes, coheredes autē Christi. Confidere
 mus inclytam vrbis huius, huius felicitàtem, in quan-
 tum considerare possibile est. Vt enim verē est, compre-
 hendere nullus sermo sufficit. Et quid scriptura dicit?
 Ciuitas illa non egebit lumine solis, sed domus omni-
 tens illuminabit eam. Et lucerna eius est agnus. Et portæ
 eius non claudentur per diem. Nox enim non erit illic,
 nec intrabit in eam aliquid coinquatum, aut abomina-
 tionem faciens & mendacium: dolor tristitia & gemitus
 aufugent. Et quid hac vita beatius, vbi nec egestas,
 nec morbus timetur. Nemo læditur, irascitur nemo, ne-
 mo inuidet. Non est senectus, non miseria, cupiditas
 nulla exardescit, nullum sibi desiderium, nulla honoris
 pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus Diaboli metus,
 insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul: mors
 vbi nulla nec corporis nec animæ. Verum super hæc
 omnia est cōsociari angelorum & archangelorum cœti-
 bus, thronis etiam & dominationibus, principatibus, &
 potestatibus. Ad hæc omniū felicitàssimum est Deū vi-
 dere, cuius decus, pulchritudo, virtus, gloria, magnificen-
 tia, atq; maiestas omnem sermonem aufugit. His verbis

Isa. 35.

G g 5

D. Au.

D. Augustin⁹, in hac olim solēnitate ad populū vsus est. Et sanē cui rei hęc solēnnitas seruiat ex his faciliē erit intelligere, quando tantā nobis spem cōsolationemq; adferant: nēpe quod Deus non iam temporanea atq; spiritualia, verū etiam æterna daturus sit. In lege quidē terrena promissit, in Euangelio spiritualia, hæc verō solēnnitas æterna pollicetur. Hæc verā felicitatē conferunt sola, verū iustis tantū reposita. Hæc sunt quasi funiculus triplicatus, quo Deus nos trahit, & sanē his qui non trahitur, spēs nullam de se pollicetur. Et publicani quidē atque ephori nec Deum nec felicitatē curabant, attamen ubi Christus spiritualia promittebat, accurrebāt. De Iudæis nihil dico, qui animales, tantū carnalibus acquiescebāt. An verō pios nō traheret, his trib⁹ simul propositis omnibus: quemadmodū hodie nō in vno aliquo sed in multis fratribus milibus completa videmus? Hac nos parte laboramus maximē, quod hanc festiuitatem non respiciamus. Alioqui satis impelleret atq; incitaret. Copiosius igitur aliquanto de hac solenni celebritate mihi dicendū est. Neq; enim toties admonere, tantaq; grauitate impelle possumus, vt non vel maxima pars desides torpescant. Sed ne longiūs vos suspendam, vnica tantū historiam libet proponere, imō verō cogitandā vobis permittere. Et ea quidem eiusmodi erit, quæ ad docendum ea quæ hodie meditanda sint, quæ sanctorū Dei vita fuerit, quæ modō beatitudo ipsorū quæq; futura sit in æternum, quid in illis Mundus, quid Deus operatus sit atque fecit, sufficiat. Est autem ipsa Mardochæi historia, quæ meo quidem iudicio, non iniquē huic conuenit festo, hæc inquam, ad incedendū in sanctorum vestigijs nos incitabit facietq; nos minus dubitare, imō quicquid ad hanc festiuitatē attinet, ostēdet. Accipe ergo quid illa historia referat. Refert liber Esther, Affluero Monarcha Persiæ, duos fuisse viros in regno ipsius lōgē diuersissimos, alterum Aman potentem quidē illum in aula, sed impium: alterum Mardochæum Iudæum, non quidem mundo celebrem, sed Dei timentem, fidumq; regi. Illum quidem opulētia, honoribus, fortunis, maxime verō Regis fauore eō adactū fuisse arrogantiæ, vt suis ipsius oblitus, sibi immeritos honores appeteret, omnium ge-

nica-

niculationem atque adorationem exigeret. Verum contra Mardocheum, qui id solus facere nollet, ira defuisset, mortis in illum poena, nec solum in illum, verum etiam in omnes reliquos Iudaicæ gentis animaduertere statuisse, atque eò rem deduxisse, ut edicto quodam, omnium Iudeorum interitioni indicta esset dies. Ad hæc patibulum in suis ædibus erexisse, scilicet necis Mardochei instrumentum, huiusque potestatem à Rege, postera luce sibi promississe, nec quicquam ad totam hanc rem perficiendam præter tempus, quo Regem audire liceret postulauisse. At Regem noctem illam duxisse in somnem (Deo ita providente) iussisseque historias atque annales priorum temporum adferri, ventumque fuisse ad illum locum, ubi scriptum erat, quomodo nūciasset Mardocheus insidias eunuchorum Regem iugulare cupientium. Hæc tum audienti, & quid pro hac fide præmij cōsecutus fuisset Mardocheus, quærēti regi, responsum esse: nihil. Tum accersito Aman, necemque Mardochei illa ipsa hora paranti dixisse: Quid debeat fieri viro quæ Rex honorare vellet. Illum verò, nihil minus quàm Mardocheo tantos honores parari cogitantem, seque ipsum solum ijs dignum somniantem, respondisse: Hominem quæ Rex honorare cupiat, indui debere vestibus regijs, imponiq; super equum qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, huius equum tenere primum de principibus ac tyrannis regijs, perq; plateas præire, clamare ac dicere: Sic honorabitur quem cumque Rex voluerit honorare. Paulo post autē Aman ipsum indignationem regis promeritam incidisse, inque non his visibus suæ domus patibulū paratum, fuisse suspensum: cōtrā Mardocheum summis honoribus exaltum horrendæ comminationis edictum reuocauisse, aliudque illi contrarium quo decretum erat, hostes persequutoresq; Iudeorū vna die iugulari, erigi procurauisse: atq; ita factum fuisse piorum omnium exultatione & tripudio, impiorum verò extrema perditione. Hæc historiā hic libet intueri. Et quidē secularis quædam historia, nihil ad hæc festiuitatē faciēs. Sed si penitius introspicere voluerim⁹, eadē Dei opera iudiciaq; in ea annotata comperiemus, quæ hodie in electis prædicam⁹ atq; extollim⁹ omnibus.

Nil

Nil refert Affuerum tanquam hominem Ethnicum huc non respexisse. Imò verò verisimile est ipsum & cum in Iudæos, & cum in Aman decerneret, nec Deum nec Dei cogitauisse iudicia: nihilominus tamen hæc meta sunt Dei iudicia. Et huius plus quàm Affueri iudicia cōsideranda sunt. Nam & malorum sæpè consilia atque opera ad sua magnalia conuertit. Si quæris exemplū? Deus per Christi mortem humanum genus liberare statuerat. Iudæorum tamen ad hanc rem vtitur malitia. Et hi quidem parum admodum humanam redemptionem cogitabant, tantum vt suam in Christo inuidiam explerent. Et longe aliter Euangelistæ indicāt. Sic de Pilato: Voluit Deus filium suum per vniuersum mundum designari regem. Ad hanc rem Pilati Crucis titulum scribentis manum Deus vsus est. Id quod Pilatus minimè cogitabat, tantumque Christum seditiosum euulgare, quo à nomine iniqui facinoris culparetur, volebat. Ita hic quoque ostendere volui impiorum interitum, piorum verò salutē. Et hanc rem idoneis, Aman & Affuero vsus est. Propterea non hi, nec etiam Mardocheus tantum, sed in primis Deus intuentus est. Huius in hac historia, iudicia operaque consideranda sunt. Amā quidem pios perdere studeuit, Mardocheus dānationis sententiam sustinebat. Vtrobique Deus operabatur, tandem etiam suo iusto decernit iudicio, quo pij liberati, impij trucidati sunt. An non etiam hodie eiusmodi iudicia Dei inueniri putas? Quod Aman contra Iudæos, hoc etiamnum Satan cum mundo machinatur verè credentibus. Quod Mardocheus cum suis sustinuit, idem nūc etiam pij à mundo perferre coguntur, vtrobique Deus permissio est, quæ impiorum in pios fauentium malitiam ad tempus sustinet, sed non in æternum silet: piorum verò ad modicum tribulationes afficit, non tamen in finem misericordiam suam abscondit.

Psal. 124.

dit. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: sed nouit suos de tentationibus eripere, nouit & perdere impios. Hæc præsens festiuitas ostendit. Et hac ratione Affueri regnum, nil nisi præsens vita est, quæ semper bonos mixtos malis habet. Amā malorum speculum est, qui nec ipse Deum reuerabatur, nec pios ferre voluit. Mardocheus piorum exēplum est, qui Dei

Dei timens, omnia tamen aduersa expectare habuit. Ut igitur Aman Mardochæum, sic mundus impius iustos non sustinet. Id quod omnes testatur historia. Superioribus annis multis Ecclesiastica historia exemplis ostendi, qua periclitata hic Aman ab ipso exordio mundi contra fratres nostros in Ecclesia defuerunt, quidque hi passi sint. Christus ea prædixerat: Si me persecuti sunt, &

vos persequentur. Et: Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Neque enim Aman secus facit quadiu hoc ipsi à Deo permillum fuerit. Hoc festum intueamur, & videbimus Deum non minus mirabilem in mutatione fratrum nostrorum, quam in Mardochæi variatione. Quibus ipsi persecuti sunt, interierunt: ipsi verò qui persecutione passi sunt, ad summos honores euecti sunt. Et hunc Satanam atque ipsum Mundum suos labores conferre præter voluntatem, oportuit, quemadmodum & Aman mortem quidem Mardochæi machinabatur, sed præire eum, coramque omnibus honorem deferre, eiusmodi planè, quem ipse nunquam consequutus fuisset: in equum regium collocare eum, regiam vestem induere, diadema capiti eius imponere, anteire atque acclamare: Hoc honore dignum esse quemque rex honorare voluerit. Hæc Aman in Mardochæo obtinuit. Et quid præterea Mundus lucratus est in fratribus nostris, nisi quod ad summos honores perduxit. Tyrannos omnes recesse: quid obfuerunt? Nihil. Quin hoc magis effecerunt seuiantes, quo nunc totus Mundus ipsorum prædicet fidem constantiamque. Quod si Tyranni non seuijssent, dimidia Martyrum pars, ne quidè conuersa fuisset. Vixi sunt oculis insipientium mori, & exitus ipsorum æstimabatur insania. Quod si nondum hoc videt Aman, suo tamen experietur tempore, quod Salomō dixit impleri: Stabant iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum. Et nos quidem isthæc experientia didicimus: Nihil contemptibilius in terris fuit sanctis, nihil nunc istidem præstantius. Nomen eorū in vniuerso Mundo claret. Saulus initio ipsos persequabatur, postea ipsis cōiunctus defendebat atque laudabat. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiā, adempti repromissiones, ob-

tura-

Ioā. 15. 16.

Si quis bonum vult
facere, debet se
magis Deo quam
homini.

qui se debet
omni bono, magis
seu qui se debet
magis Deo quam
homini.

Sap. 3.

Sap. 58. 74. 5.

Heb. 11.

apoc. 3. 11.

turauerunt ora leonū, & vim ignis extinxerunt, conu-
luerunt in infirmitate, effugerunt aciem gladij, sortes sa-
Et sunt in bello, castra verterunt exterorum. An non &
hic tibi Amā quidam fuisse videtur, qui quem prius per-
dere voluit, huic postea equum ducit & clamat: Hoc ho-
nore dignus est, quēcūq; Rex honorare voluerit? Ecce
hæc præfens festiuitas indicat, quæ meritò nos confor-
mant aduersus omnia Mundi aduersa, omnemque tyran-
nidem impiorum, quando hodie tot nobis proponuntur
milia fratrum nostrorū, quibus ista non modò nō obſue-
runt, verumetiam vehementer profuerunt. Primò in iu-
diciorum Dei admirationē nos inducere debent, in qui-
bus, Deū omnia quæcūq; aduersum nos molitur im-
pij, in nostram vtilitatem posse conuertere videmus. Tū
iucunditate quadam nos erga fratres perfundere, in qui-
bus iā dudum Deus magnalia sua operatus est. Sed & in
omnem pietatē incitare nos, quod tanto sanctos honore
dignari Deū ipsoꝝ exemplo discimus. Regijs eos vesti-
bus ornat, imponit in equū regium suū, regio diadema-
te decorat, tū hostes ipsoꝝ præire, ipsoꝝq; laudes per-
sonare facit. Et quæ vestis illa regia? Quod liberati non
solū à peccato, sed & à peccati formidine, quā à nobis ip-
sis non habētes, iubemur emere. Regius equus est, ab o-
mni malo securitas, vnde cōfidentiū agere possunt. Au-
reum diadema, plena animæ corporisque beatitudo est,
qua ipsoꝝ circundat vnde quaq; ne quid deficiat. Et hoc
digni sunt honore. Id quod ipse etiam mūdus nolit velit
cōfiteri cogitur. Atq; ab initio quidē hūc honore impe-
dire studuit, sed nō potuit, imò promouere coactus fuit.
Atque hæc nobis ad pietatem incitatio erunt. Non enim
omnibus, sed ijs tantum quos rex honorare vult, conti-
gunt. Iam verò hos honorare vult, à quibus ipse prius ho-
noratus est, ipsi seruiunt. Mardocheus sis oportet, non
persona sed imitatione, si tamen honoris huius particeps
esse volueris. Vita imitanda est sanctorum, si honore con-
sequi voluerimus sanctorum. Regnum celorum in no-
stra potestate cōsistit: vim patitur, & violētū rapiūt illud.
Aliud nō querit pretiū quā te ipsum. Tantū valet quantū
tu es. Te da, & habebis illud. Nemo turbetur de pretio.
Christus semetipsum tradidit, vt acquireret te in regnum
Dei

Apoc. 3.

Matt. 11.

Dei patris, ita & tu teipsum da, vt sis regnum eius, ac nō regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisitionem vitæ. Vt igitur cum Augustino exorsus sum, ita cum eodem concludam. Ad hanc inquit, operū salutariū dilectissimi palmā libenter ac prōpte certamus omnes in agone iustitiæ, Deo & Christo spectāte curramus. Et qui seculo & mūdo maiores esse cœpimus, a cursu nostro nulla seculi cupiditate tardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currētes dies vltimus inuenerit, nusquā dñs meritis nostris ad præmiū deerit remunerator. Quod coronā purpureā in persecutione pro passionē donauit, ipse in pace viuētib. pro iustitię meritis dabit candidam. Nā & Abrahā, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei & iustitię meritis honorati inter patriarchas primi esse meruerunt. Memores esse debemus voluntatē nō nostrā, sed Dei facere debere. Atq; huic hodie prodesse nōnihil possent. Gratia Dei nobiscū, Amē.

SERMO SECVNDVS.

Quo conuenientiore modo hunc sermonē exordiar, quā si ea quæ heri ex Regū libris audiuius, rursus in memoriam reuocauero, nescio. Quanquā perinde est, ac si nigrū albo cōpares, Illic. n. quid Adā soboles cogitet, loquatur, moliat, efficiat: Hic verò quid Dei filij sint atq; cogitēt, videmus. Illi pro terreno regno sudant, hi pro æterna patria certant. Atq; hæc perinde atque nigrum ab albo dissident: Nihilominus ad rem faciunt, nepe vt cōparatione duorum: rectius quid Dei, quid mundi huius spiritus sit atque faciat, cognoscamus. Adde quod et responsonem faciliorem facit contra eos, qui eiusmodi festos dies, hæc maximè celebritatem, ridēt, superfluum quæ, omniū sanctorū memoriā tanta honorificentia peragere, iudicant. Non enim spiritui sancto vanum quid, aut inutile visum est, sed & scripturis ostenditur, quomodo Deus antiquitus sua iustitia atque ira in impiorum animaduersione vsus sit, qui nihil aliud sunt, quā vasa iræ, præparata, in interitum, & in vindictam iræ Dei. Tum verò nec hoc vanum erit, quia ratione Deus misericordiam suam gratiamq; in vasis misericordiæ atque gratiæ ostenderit, cogitandum proponere. Illud quidē vt timere, hoc vt sperare doceamur. Illud timorē,
hoc

hoc Dei dilectionem atq; amorem suadet. Iam vero omnino præstat, omnia nos ex animo atque ultro facere, quam ad id faciendum impelli. Si ergo impij Roboam eiusque populi malitiam, imò impietatem & incredulitatem, tum sequentem pœnam S. scriptura tam apertè describit, ad deterrendos monēdosq; posteros: sanè, quod in Ecclesia fidem, dilectionem, patientiam Dei electorū commemoramus atque prædicamus, nemo mirari debet. Nempe nobis cæterisque Christianis omnibus exēplo atque incitamento est, quicquid in sanctis cognoscimus pulchrū. Has duas ob causas hodierna festiuitas, hesternaque Roboam historia pulchrè conueniunt: nempe ut spiritum dei eiusq; effectus ex oppositis rectius cognoscamus, nostramq; hanc festiua solennitatem melius defendamus. Et certè non parui momenti, cui fundamento Ecclesiæ festiuitates innitatur, & quid in pijs spiritus sanctus efficiat, cognoscere. Facile enī in abusum abeunt Ecclesiæ festiuitates, quantumlibet rectè institutæ, quarum causæ ignorantur: tum citò ad prauam impiamq; vi tam dilabimur, ubi non & iuxta Euangelij sermonē, exemplum eorum, in quibus Spiritus sanctus ab initio operatus est, proponitur. Quod qui credere nolit, seculi respiciat huius mores. An nō Ecclesiæ festiuitates apud plurimos, in perniciosum abusum abierunt? Non hic de plurima parte illorum, qui his festiuitatibus in otium, imò peccandi occasionem abutuntur loquor: sed de his mihi sermo est, qui seuerissimè ijs intendunt: Hic quanta superstitio, hypocrisis: quàm nihil veræ pietatis, cultusque Dei genuini est? Vnde id verò: nisi quod nulla eorū institutæ sint cogitatio? Ea verò & aliarū rerum conditio est: An non totus Christianus orbis etiam illi, qui inconsultis, imò immeditatis prædicationibus suis nō minima huius mali causa sunt, de vitæ impietate, nempe iuuentutis conqueruntur? Vnde id verò: nisi quod sublati è medio sanctōrum exemplis: contrā: Ethnicarum, Turcicarum, bellicarum, inhonestarum, impiarumq; rerum imagines ipsorum præfigimus oculis? Et quid hinc sperandū tandem est, quàm posteris nostris relicturi sumus Ecclesiam, qui Dei cultu superstitiosi, moribus Mahumetici sumus? Agē ergo eò charior hæc nobis festiuitas erit, eò diligē-

diligentiùs atq; alacriùs circumspiciemus ad eorum exempla, qui in vita sua non modò in via Domini ambulauerunt, verumetiam modò patriam consequuti sunt. Et horum hodie non vnus aliquis, sed multa milia ante oculos nostros ponuntur. Audiui numerum signatorù, inquit Ioannes, centù quadraginta quatuor milia ex omni tribu filiorum Israël. Et iterù: Vidi turbam magnam, quã dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: Quod si & nobis eiusmodi essent oculi atque aures, quibus iucundum hoc spectaculum videre atque audire possemus, impossibile esset, quin & intimis affectibus exultaremus & ad omnè pietatem redderemur promptiores. Quandoquidem ergo tantum nostra refert, non possum non de hac festiuitate aliquãto tractare fusiùs. Verùm Roboam impium, seditiosamq; eius cohortem hac vice missum faciam. Tamen ne vos aequo diutiorè mora detineam, nèue etiam ad ea quæ superioribus annis à me dicta sunt recidam: placuit ex Paulo aliquid quod & hodie in Ecclesia perfonuit, proponere. Est autè prima laudum Antiphona, quã si hodie rectè meditati fuerimus, sanè nõ sine fructu hæc nobis solènitatis peribit. Agè ergo Paulus sic ait: Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonù, his qui secundum propositum vocati sunt. Ecce Paulù non leuè scriptorè, grauissimè testificantè. Quod si & ea, quæ in Paulo his apposita sunt cogitare voluerimus, periurãdã huius festæ diei cõferent memoriã. Et licet hæc tantum verba initio legãtur, occasio tamè per hæc præcedètia & quæ sequuntur cogitatio offertur. Da sapièti occasione, inquit Salomon, & addetur ei Sapiètia. Iam verò hæc modò recitata Pauli verba tã sunt cõsolationis plena, vt eius farinæ plura, & præcedere & sequi dubitare possit nemo. Neq; enim tantæ cõsolationis alia in toto Paulo facilè inuenies, maxime quæ, vt hæc, ita commodè huic solennitati conueniant. Proinde rectè totam illã verborum striem, vnde hæc desumpta sunt, recitauero. Audiuitis ergo dixisse Paulù: Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, vocati sunt. Et hæc sanè intelligentibus sufficerent, satisque magna diuturnæ meditationis causã essent. Tã magnifi-

Rom. 8.

Proue. 9.

Hh cc

cē enim Paulus de piorū *foelicitate* loquitur, vt ad Christianismum posset pellicere eum qui nunquā ea religione delectatus esset: deinde tanta prudentia sensus vtrobiq; format, vt nemo sibi quicquā his verbis possit tribuere aut polliceri, nisi ingenuē sit Christianus. Principio enim non simpliciter de *Credentibus*, sed de *diligentibus*. Id quod minime illi incogitāti exiit: nempe verē credentes, in quibus per dilectionem fides operatur, intelligi voluit: aliās passim de fide atque eam habētibz nūdē loquens, de ea fide intelligi fortē à quibusdā potest quam se habere multi persuadent. Hic verò aliquāto expressiūs & perspicuē, vt de viuā fide loqui necessariō intelligatur. Primo ait: Scimus quia *diligētibus Deum omnia cooperantur in bonum*: Deinde & aliam cautelam addit: His, inquit, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Id quod ipsum quoque immeditatus non dixit: Sunt enim qui ad tempus credant, fidemque suā dilectionis operibus ostendant, sed nulla his inest constantia: vocati quidem sunt, sed non secundum propositum, verū secundum *præsentem iustitiam*. Propterea nec hi sunt, quibus omnia cooperantur in bonum. Ecce tam prudenter hic Paulus loquitur: ac si diceret: Ingentia vobis de beatorum *foelicitate* dicam, non autem de *Credentibus* simpliciter loquor, sed de *diligentibus*: nec rursus de his, qui ad tempus credunt, sed qui secundum propositum vocati sunt sancti. Et quid de his, Paule, dicis? *Omnia ijs cooperantur in bonum*. Primum oēs creature: ex his enim Deū agnoscunt: secundō, quicquid à Dei manu suscipiunt bonorum: ex his enim ad gratiarum actionē incitantur. Tertiō beneficia Dei in proximis visā: ex his enim similia à Deo sperat. Quarto impiorū peccata: ex his enim cautior fit. Quod si & pœnam horum considerat: hinc timet. Si & ipse Dei animaduersionem per aduersa sustinet: se ipsum agnoscere, Deūq; precari discit. Si inimicis vel hostibus molestatur: ardentius orat: Imō verò si & in peccata lapsus fuerit, Dauid exemplo fit ad pietatem feruētior, ad humilitatē propensior. Breuiter, omnia cooperantur illi ad bonum. Et hoc, inquit Apostolus, scimus. Vnde id verō? Ex Scripturis, ex promissione Dei, ex patrum historijs,

storijis, experiētia, & hoc ipso festo. Scimus quia diligē-
tibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et quid tali
Christiano beatius, cui omnia cooperantur in bonum.
Quod si ita est, vt verē est, haud dubiē contraria impio-
rum ratio est. Atque ita quidem omnino est. Sani sunt
& leues, diuites, superbi, in eminentia constituti, elati: si
prosperē omnia succedunt, Dei obliuiscuntur: si aduer-
sis impetuntur, contra Deum murmurāt: si aliorum for-
tunas vident, inuidēt: Si mala considerant, exemplum
impietatis sumunt: si labi contigerit, desperant. Ecce quā
ta hęc meditatione digna sunt? Neque tamen hic Pau-
lus quiescit, plura enim eiusmodi addit: Quos præsci-
uit, & prædestinavit conformes fieri imagines filij sui,
vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem
prædestinavit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos iu-
stificauit: Quos autem iustificauit, illos & glorificauit.
Ecce hęc consequenter in Paulo superioribus addita
sunt, omnia verō huic omnium sanctorum festiuitati
conueniunt. Principio, quis eos sanctificauerit audis, &
quibus medijs, quidq; hic considerandum nobis sit, om-
nem Paulus iustitiam, sanctitatem, glorificationem, non
nobis, sed Deo ascribit. Deus illos præsciuit & præde-
stinavit, inquit Paulus. Et Christus ad discipulos loquēs
ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et David:
Non nobis, domine non nobis, sed nomini tuo da glo-
riam. Et: Cum essemus inimici Dei, reconcilitati sumus
per mortem filij eius. Et non ex operibus Iustitiæ, quæ
fecimus nos, secundum misericordiam suam saluos nos
fecit. Huc & illud pertinet, quod Ioānes scribit, sanctos
omnes Deo & agno honorem, salutemq; tribuisse. De-
inde & media Paulus enumerat, per quæ Deus suos ad
se attrahit, à peccato ad iustitiā, à iustitia in gloriā. Quo-
rum multa recenset. Primò præsciuit, dein de prædestina-
uit. Et hoc aliquāto amplius est: Nam & malos quidem
præsciuit: sed hos, puta sanctos etiam prædestinavit cō-
formes fieri imagines filij sui, hęc atq; in futuro. Vnde
omnes persecutionē passos sequitur. Et quid præterea?
Quos autem prædestinavit, hos & vocauit, quos aut vo-
cauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos &
glorificauit. Ecce media, per quæ sancti, ad gloriā per-

Rom. 8.

Ioan. 15.

Psal. 113.

Rom. 5.

Tit. 3.

Apoc. 7.

- rexerunt. Et per hæc ipsa nobis quoque eò peruenien-
dum est. Atque hic optima, omnia considerãdi causa da-
tur, quæ ratione Deus in suis efficiat. Verè enim hic lo-
cum habet: Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilis in
prædestinatione, mirabilis in vocatione. An nõn admi-
ratione dignum est, quod de prædestinatione loquitur:
Ephe. 1. Elegit nos in Christo ante constitutionem Mundi. Ad-
Matt. 11. huc magis mirandum est, quod Christus ait: Confiteor
tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti, hæc à
Sapientibus & prudentibus, & reuclasti ea paruulis. Et
Malach. 1. in Malachia: Nõne frater erat Esau Iacob, dicit do-
minus? Et dilexi Iacob, Esau autem odio habui. Hæc sa-
nè Paulus admirari satis nõ potuit, cum exclamat: O al-
titude sapientiæ & scientiæ Dei, quàm in comprehensi-
bilia sunt iudicia, inuestigabiles viæ eius? Vtrique fateri
Rom. 8. oportuit, neminem huius causam indicare posse. Eadem
& vocationis ratio est. An non admirandum quid est,
quod Paulus ait. Non multi potentes, non multi nobi-
les, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus. An non ple-
num miraculo est, Christum in Euangelio eum vocare,
1. Cor. 1. qui moram trahebat, alium vltro se offerentem ablegat?
Matt. 8. An non admiratione dignũ est, Neronem persequi Chri-
stianos, Senecam verò Pauli familiaritate vti: Diocletia-
nũ tot Martyres facere, ipsius vxorem ad fidem vocari?
Ita consequenter de Decio & alijs. An non miraculi lo-
cum habet, Deũ Iudæos pulsare, Gêtes ad se vocare? Vi-
de quanta hic in Sanctõrũ vocatione consideranda sint.
Eadem & in iustificatione ratio est. An non admirandũ
quid est Deũ ex peccatore iustũ: ex filio Adæ, Dei filium
facit? Et hoc in omnibus Sanctis effecit. Eratis aliquãdo
tenebræ, inquit Paulus, nunc autẽ lux in domino. Et ali-
bi. Sed hæc fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed
iustificati estis per nomen domini Iesu, & per spiritum
Dei nostri. Verũ quomodo electos suos Deus in futu-
ro sit glorificaturus, nulla lingua enarrare sufficit. Nõ o-
culus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit,
1. Cor. 2. quæ præparauit Deus diligẽtibus se. Et Ioan. Nunc filij
Dei sumus, inquit, & nondũ apparuit quid erimus. Sci-
mus quonia cũ apparuerit, similes ei erimus, quoniam vi-
Coloss. debimus eum sicuti est. Vita nostra abscondita est cum
Christo

Christo in Deo, cum autem Christus apparuerit vita nostra tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Ecce quanta hic consideranda occurrunt, si quis excutere velit, quomodo singulos Deus, & ad quid vocauerit, quomodo iustificauerit. Sed ais: Nunquid hæc de sanctis cogitare sufficit? Minime. Neque enim nostri obliuisci decet. Quid ergo ad hæc dicemus? Qua ratione Dei in electis operibus utemur? Quid inde discendum est? Paulus hoc docebit. Hoc nimirum, quod Deus pro nobis est. Certa omnino iudicia Dei sunt, quod diligit nos, quod propitiatur nobis, quod pro nobis sollicitus est, nobis que bene velit: qui enim aliquando fuit, idem & hodie est: quod promissit, non negat: quod alijs præstitit, nobis exhibere paratus est. Deus pro nobis est, Charissimi, Idque hac festiuitate docetur in tam multis milibus, quos omnes præfciuit, prædestinauit, vocauit, atque iustificauit. Idem in nobis experimur. Nulla ergo tanta est potentia, quæ nobis in Christo manentibus incommodare potest. Quid ergo aduersus Deum, hic cum suo Principe Mundus audebit? Si Deus pro nobis quis contra nos? Et illa quam præfens festiuitas, docet spes est, & hanc quidem Paulus quam maximè inculcare cupit. Difficilis enim creditu est. Duo sunt, quæ nos pusillanimes reddunt: Peccatum, deinde aduersitas. Quando enim peccatores esse nos, quod peccauerimus & quod peccemus recolligimus: difficillimè, Deum tam vilem creaturam quicquam æstimare multoque minus diligere, credimus. Tum aduersitatibus ingeminatis nouisque præteritis sequentibus rursus an Deo curæ simus, an nos tueri velit, dubitamus. Semper enim si nos diligeret, tanta mala in nos non missurum esse cogitamus. Hic contra Paulus validissimè pugnat: vult ne quid nos vel peccatum, vel aduersitas deiciat. Sed magis semper fiduciam habeamus Deum pro nobis esse. Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hæc quicumque ingenuè Christianus de Deo credas, si te peccatum terret, cogita quia Deus est, qui peccatores iustifi-

Rom. 8.

zat. Quæris, hoc vnde sciam? Quod filium suū misit vni genitum, nec illi pepercit. Et quod eius rei euentus testimonium erit? Si enim proprium filium dedit, vtiq; vanam & inanem hanc largitionem esse non sinet. Si, inquam, filium dedit nobis, vtiq; per eum & iustitiam & salutem & omnia dedit. Quod si adhuc maiora huius rei testimonia quæris: audi quam graphicè Paulus hunc mediatorem depingat: Mortuus est, & resurrexit, & interpellat pro nobis. Ad quid ista enumeratio? Ideo, vt eo melius firmiusq; credamus, quod Deus nobiscum, siue pro nobis, nos iustificet. In morte enim Christus, oblationis admonemur: in resurrectione & ascensione, potentiæ: in interpellatione, sempiterni ipsius sacerdotij. Iam verò Christus nec frustra oblatus est, nec sine causa hanc potentiā accepit, nec inanis eius erit interpellatio. Quid ergo de D E I dilectione hæsitas?

Hebr. 4. Quid tua indignitate deiçeris. Haberes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei cū fiducia adeamus, ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Ecce tibi gratiæ proposita facta. Et quæ maior oblationi, officio, interpellationiq; Christi contumelia fieri potest: quam tantum esse peccatum arbitrari, vt nec oblatione, nec officio, nec interuentu Christi possit expiari? Nulla ergo pusillanimitatis causa est, si quis, vt decet, Christi oblationem, officium, dilectionemq; consideratè perpenderit. Huc ergo Pauli ad Hebræos verba respiciunt. Si enim angustati fuerimus, Spiritus sanctus internè testimonium dat: si tribulationibus molestati internè, (si modò cor nostrum mundum fuerit) si denique persecutionem sustinemus, promissionem habemus, quia regnum cœlorum obtinebimus. Qui confitebitur me coram hoibus, confitebor & ego eum corā patre meo. Si esurimus, cœlestem panem habemus paratum. Si nudi sumus, vestem habemus, in qua coram Deo persistere possumus. Si in periculis positi, dicere possumus, si ambulauerimus in vmbra mortis, nō timebimus malā, quoniam tu Deus nobiscū es. Et hoc est quod Paulus ait: superabundamus, propter eum, qui dilexit nos, in omnibus. An fortè hic nos aliqua aduersitas ter-

ritabit,

Math. 8.

ritabit, quasi à Deo non diligemur? An mors nos separabit à Charitate Dei? Nullo modo. Scriptū quidem est: Quia propter te mortificamur tota die. Idq; nos experimur quotidie. Sed non ideo non diligimur à Deo, sed & in his omnibus superamus propter eū, qui dilexit nos. Hac intentione hæc festiuitas consideranda est, primò quid in sanctis operatus est Deus, deinde quid nos ab ipso sperare debeamus. Etenim non modo alios, sed nos ipsos respicere necesse est. Illi quidem præcesserūt nos, sed expectant nos, vt qui sine nobis perfectam gloriam non obtinent. Festinemus ergo, vt huius vitæ perfecta fabula, in æternam lætitiā introeamus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Psal. 43.

IN DIE OMNIVM ANIMARVM EVANGELIVM.

Ioan. 6.

OMnis quod dat mihi pater ad me venit: & eum qui venit ad me, nō eiiciat foras: quia descendi de cœlo, nō vt faciam voluntatē meam, sed volūtatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, nō perdā ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

EODEM DIE EPISTOLA.

la. 1. Machab. 12.

Fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorū, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim milia drachmas argenti misit Ierosolymā, offerri pro peccatis mortuorum sacrificiū, bene & religiosè de resurrectione

Hb 4.

etione